



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

II. De dispositione requisita ad infusionem habitus fidei: Vbi, an infundatur aliquando ante gratiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

SECTIO II.

De dispositione requisita ad infusionem habitus fidei: ubi, an infundatur aliquando ante gratiam.

12 **P**ost causam efficientem physicam sequitur dicere de dispositione requisita ad infusionem habitus fidei, de qua est controuersia inter Theologos, an sit sola fides actualis, an verò contritio, vel attritio, quæ disponit proximè extra, vel intra sacramentum ad infusionem gratiæ habituales; Quod est idem ac querere, an quando infidelis conuertitur ad fidem, infundatur ei habitus fidei statim ac creditur verò non tunc, sed quando recipit gratiam habitualem, præcedente contritione perfecta, vel attritione cum sacramento. De paruulis enim non est difficultas; hi enim simul accipiunt in baptismo omnes habitus. De adultis est ratio dubitandi, quia adultus prius tempore credit, quam iustificetur per contritionem, vel sacramentum; dubitatur ergo an quando primum credit, accipiat habitum fidei, an verò quando iustificatur. Eadem difficultas est de illo, qui amisit fidem per hæresim; an recuperet habitum fidei cum primum credit antequam iustificetur.

13 **T**res sunt in hac controuersia potissimæ sententiæ. Prima affirmat, habitum fidei infundi sæpe sine habitu gratiæ, ita P. Suarez 3. tom. in 3. part. disp. 28. sect. 3. & in præsentis disput. 7. sect. 5. num. 6. Valquez in 1. 2. disput. 203. num. 117. Salas 2. tom. in 1. 2. tract. 11. disput. 5. sect. 3. Valentia in præsentis 6. puncto 2. discendens ab eo quod dixerat 2. tom. disp. 8. quest. 2. puncto 2. & alij, quos refert, & sequitur Turrianus in præsentis disp. 41. dub. 9. & eandem tenet Coninch in præsentis disput. 16. in fine & supra disp. 6. dub. 4. Granado in præsentis tract. 13. disp. 5. num. 9. & Hurtado disp. 5. §. 7. & sequentibus. Præcipuum fundamentum sumitur ex eo, quod habitus fidei conseruatur sine charitate, nisi obstat infidelitas, ergo poterit etiam sine charitate introduci in homine iam credente.

Secunda sententia concedit, licet non infundatur extra Sacramentum infundi tamen fidem in Baptismo in homine disposito per fidem actua-lem, habente tamen obicem ad habitum gratiæ; ita Sorus 1. de natura, & gratia, cap. 8. & Aragonius hic quest. 6. art. 1. ad vltimum, & quidam alij; quia cum baptismus sit sacramentum fidei, habebit eum saltem effectum gratiæ iustificantis.

14 **T**ertia sententia negat, vñquam infundi habitum fidei absque habitu gratiæ. Hæc planè videtur communis apud antiquos Theologos. S. Th. 1. 2. quest. 62. art. 4. vbi docet, licet interactus fidei, spei, & charitatis detur prioritas, non tamen inter habitus. Item in 3. disput. 23. quest. 2. art. 5. in corpore, & 3. part. quest. 85. art. 5. Bonauentura in 3. d. 23. in expositione contextus dub. 6. & in 4. d. 14. 1. part. distinct. art. 2. quest. 3. Durand. 3. d. citata quest. 6. Richard. art. 5. & 6. quest. 3. Ocamus d. 25. Scotus d. 36. in fin. Gabr. quest. 1. art. 2. Almainus tract. 2. moralium cap. 2. Vega lib. 7. in Tridentinum cap. 28. Aragon. in præsentis quest. 6. art. 1. in fin. Albertus in 2. d. 26.

art. 9. in fine, & in eam inclinat Maldertus hic q. 4. art. 7. & latius q. 5. art. 4. & Suarez hic disp. 7. sect. 3. num. 4. fateatur esse probabilem, quos sequuntur aliqui docti Recentiores, & mihi videtur etiam probabilior.

Probatur primò, quia baptismus de se habet efficaciam ad infundendum habitum fidei, & aliorum virtutum, vt iuxta probabiliorum, & communiorum sententiam decernit Pontifex in *Clementina de summa Trinitate* de baptismo paruulorum, supponens illud, vt certum de baptismo adultorum, vt vidimus supra disp. 9. & quamuis ibi solum loquatur de virtutibus, & non expresse de habitu fidei, certum tamen est, comprehendendi ibi fidem, vt constat ex cap. maiores, de baptismo, vbi relata eadem controuersia exprimitur fides, & de ea queritur, an sicut infunditur in baptismo adultorum, infundatur paruulis. Certum ergo est, baptismum per se habere efficaciam infundendi fidem adultis; nam ex efficacia baptismi quæ eadem est in adultis, & paruulis, probat Pontifex infundi etiam fidem paruulis. Quod si habitus fidei infunderetur, quando primum adultus credit, nõ infunderetur per se fides in baptismo, sed valde per accidens, & in casu rarissimo, qui forte nunquam cõtingeret: nam baptismus per se exigitur adulto, quod prius credat, quam accedat ad illud & ideo iubetur prius catechizari, & profiteri fidem iuxta præceptum Christi, docere omnes gentes, baptizantes eos, &c. & qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c. vbi prius exigitur actualis fides, quam homo baptizetur; si ergo prius creditur, prius etiam per se habuit fidei habitum, ergo nunquam accipit illum in baptismo, nam vel illum habet ante baptismum, vel si non habet ex defectu fidei actualis, neque etiam in baptismo illum accipiet ob eundem defectum, nisi singas illum hominem tunc primum credere quando profertur vltima syllaba formæ sacramenti, qui casus esse valde per accidens & chimericus; nec sufficeret, vt Pontifex supponeret vt certum adultos in baptismo accipere habitum fidei. Confirmari potest ex Trident. sess. 6. cap. 7. dicente catechumenum postulare fidem ab ecclesia, vbi loqui videtur de habitu, nam actum iam habet, ergo non habebat habitum ante iustificationem.

Dices, Baptismus habere de se efficaciam ad conferendum habitum fidei quoad primam infusionem, vel quoad augmentum; nam licet ante Baptismus sit iam habitus fidei in homine; augetur tamen per virtutem Baptismi. Sed cõtra, quia in primis in prædicta *Clementina*. Sermo videtur esse de efficacia Baptismi ad infundendam primam fidem determinatè. Alioquin non augeretur bene ab efficacia, quam Baptismus habet in adultis, ad efficaciam eiusdem Baptismi ad infundendam paruulis primam fidem, non enim valet bene hoc Sacramentum habere vim augendi gratiam, ergo habet vim causandi primam gratiam, vt constat in Eucharistia, quæ per se habet vim augendi gratiam, & tamen non habet vim per se causandi primam gratiam: imò nec per accidens, vt dixi in materia de Eucharistia, ergo vt Pontifex ex efficacia Baptismi circa adultos probet efficaciam eiusdem ad causandam per se primam fidem in paruulis, debet supponere Baptismus per se habere efficaciam ad causandam primam fidem etiam in adultis, & non solum eius augmentum.

Deinde neque augmentum fidei causaret Baptismus semper in adulto, si præcederet habitus fidei

dei infusus sine charitate; quia sapē accideret, dispositionem ad fidem fuisse intensiorem, quam dispositionem, quæ postea ponitur ad gratiam, & per consequens habitum fidei infusum fuisse intensiorem, quam postea infundatur charitas: quare cum fides, & aliæ virtutes solum augeantur, quando infunditur charitas, propter connexionem, quam habent cum charitate, & iuxta mensuram illius, non augetur fides in eo casu, cum iam supponeretur excedens mensuram charitatis.

Ex quo probati potest secundò conclusio, quia si fidei habitus infunditur sine charitate, eo quod actus fidei sit sufficiens dispositio per te ad habitum, ergo etiam ante charitatem augebitur habitus fidei, quoties repetitur fidei actus; imò non solum quoties datur actus fidei intensior, sed remissus, sicut charitas etiam augetur per actus remissos, ut suppono, ergo continget sapissimè aliquem habere fidem valde intensam, & charitatem remissam, quod licet aliqui concedant, videtur tamen esse contra naturam habituum infusorum, in quibus quantum fieri possit seruanda est æqualitas, & vniuersitas cum mensura gratiæ sanctificantis. Ratio autem à priori est ex lapsu dictis, quia fidei habitus est passio gratiæ, quare non debet sine ipsa poni nisi ubi ratio specialis, vel auctoritas id exigat, quæ in præsentem non est.

18
Solutio secundum
damentum
primi senten-
tia.

Restat soluere fundamentum primæ sententiæ sumptum, ex eo quod fides conseruetur sine charitate; ex quo videtur posse etiam sine charitate infundi. Respondent aliqui, actum fidei non esse sufficientem dispositionem ad infusionem habitus, quia per actum fidei solum non tollitur peccatum incredulitatis; cum autem fidei habitus expellatur per peccatum incredulitatis, non potest recuperari, donec tollatur illud peccatum, quod non fit ante iustificationem. Hæc solutio, licet in aliquo casu locum habeat, quando scilicet præcessit peccatum infidelitatis; non tamen in aliis, in quibus ante actum fidei, licet præcesserint alia peccata; non tamen præcessit peccatum infidelitatis propter ignorantiam inuincibilem fidei, quam potuerunt habere; ergo in illis sufficeret fidei actus ante iustificationem, ut disponerentur ad habitum fidei.

19
Ad argumentum ergo taliter respondeo, minus requiri ad conseruandum habitum fidei, quam ad eius introductionem; nam, ut ille dixit, *cur prius eiciatur, quam non admittatur hospes*: alioquin sicut ad conseruandum habitum fidei sufficit carentia infidelitatis etiam sine actu fidei, sufficeret hæc eadem carentia infidelitatis culpabilis ad introducendum habitum fidei sine villo actu, quod nemo concedet. Quam responsionem approbat Suarez dicta disp. 7. sect. 3. num. 4. & addit congruentiam, quia Deus non dat salutem dimidiatam, sed integram simul; punit tamen peccata dimidiata, nec aufert omnia simul. Dices, habitum fidei non conseruari ob carentiam infidelitatis, sed ob actum fidei præteritum, qui moraliter perseverat, dum non retractatur. Sed contra, quia pono habitum fidei intensum meritorie propter actus charitatis, vel misericordiarum olim elicitos: hæc intensio fidei perseverat in peccatore, non propter illos actus charitatis, vel misericordiarum moraliter perseverantes; nam hi omnes potuerunt omnino retractari per actus contrarios, & adhuc perseverare habitus fidei intensus, ergo minus requiritur ad conseruationem, quam ad eius introductionem.

Card. de Lugo de virtute fidei diuina.

Concedimus ergo in prima infusione Deum exigere eandem dispositionem ad infundendum habitum charitatis, & fidei, atque adeo dispositionem requisitam ad conseruandum habitum charitatis, debuisse ex natura rei exigere ad conseruandum habitum fidei: de facto tamen Deus noluit perdi habitum fidei, nisi propter peccatum infidelitatis ob rationem explicandam *sect. seq.*

Obiiciunt secundò aliqui, quia hæreticus conuersus ad fidem, licet nondum sit iustificatus, iam tamen dicitur, & est simpliciter fidelis; ergo sicut alij peccatores, quia in statu peccati dicuntur, & sunt fideles, retinent habitum fidei, sic etiam concedi debet, quod ille hæreticus conuersus ad fidem habeat in se habitum fidei, antequam iustificetur.

Hoc argumentum probaret etiam, quod peccator, qui prius habebat omnes virtutes morales infusas, & amisit gratiam ob peccatum iniusticiæ, retinere debeat habitum temperantiæ, vel castitatis; suppono enim, & prius & postea cum esse valde affectum ad castitatem, atque adeo posse simpliciter appellari castum, sicut antea. Non ergo sufficit esse, & denominari castum, ut retineat habitum infusum castitatis: nec esse, & denominari fidelem, ut habeat habitum infusum fidei; nec ideo solum retineretur à peccatore, quia ille adhuc est fidelis, sed ob alias rationes, de quibus postea dicemus.

Obiiciunt tertio Tridentinum *sess. 6. cap. 7.* ubi dicit fidem, nisi ad eam spes, & charitas accedant, neque vnire perfectè cum Christo, nec corporis eius viuum membrum efficere. Supponit ergo ad id, de cuius iustificatione per Baptismum ibi loquitur, posse prius accipere fidem, quam charitatem, atque ideo posse manere cum sola fide; id enim significat, dum dicit, quod nisi accedat charitas, fides sola non facit perfectam vniorem cum Christo: qua ratione verissimè dicitur, fidem sine operibus mortuam, & otiosam esse.

Respondeo, verbum *accedere* ibi non significare successionem temporis, nam ibi præmittit Concilium, hæc omnia simul infundi in iustificatione, fidem, spem, & charitatem. Solum ergo significat ordinem naturæ, nam sicut intellectus est prima potentia cui accedit voluntas, & non è contra: sic fides est in ordine supernaturali prima quasi potentia, cui accedunt spes, & charitas quæ pertinent ad voluntatem, dicit autem Concilium non fieri perfectam vniorem cum Christo per fidem solum, quia si ea sola in iustificatione daretur, ut hæretici volebant, non esset homo membrum viuum Christi, quia fides sine operibus mortua est, ut constat in peccatoribus, in quibus fides manet absque charitate, sed mortua & otiosa: non dicit ergo Concilium, quod in iustificatione datur fides sine, aut prius tempore charitate; sed quod datur simul, quia si daretur sine charitate, esset mortua, ut est in peccatore retinente fidem solum absque charitate.

Dices, in peccatore manet habitus fidei, ut conaturaliter eliciat actus, quibus se disponat ad conuersionem; tur ergo non dabitur de nouo habitus fidei peccatori credenti, ut conaturaliter etiam credat, & disponatur ad perfectam conuersionem: Respondeo, si hæc ratio valeret, deberet etiam dari habitus ante primum actum fidei, ut conaturalius illum eliceret, quod tamen aduersarij plerumque negant. Dicendum ergo est, Deum

M m nolle

20
Obiectio 2.

21
Obiectio 3.

22

nolle infundere hæc dona habitualia homini, nisi ipse prius disponat se ad eorum receptionem: hæc autem dispositio ea esse debet, quam homo ex se ponere potest; quare ante contritionem, seu dilectionem Dei super omnia, (qui actus excellentissimus est inter eos, qui ab homine exigere possunt) non infunduntur habitus, nisi ad exigentiam gratiæ sanctificantis collata in sacramento, sed interim supplet Deus per auxilium, quod habitus præstaret, ut homo possit credere, & disponi ad perfectam conversionem, per quam disponatur sufficienter ad receptionem habituum. Ex quo etiam obiter constat contra secundam sententiam, nec in baptismo infundi fidem sine charitate, quia non ponitur sufficiens dispositio ad unum habitum nisi ponatur ad omnes: nec vllum fundamentum apparet in scriptura, vel conciliis ad concedendam illam efficaciam baptismi dimidiatam in tali casu.

23
Obiectio 4.

Quartò, opponitur contra nostram sententiam S. Thomas *infra* q. 6. art. 2. ad 3. ubi supponit, fidem donari à Deo sine charitate: qui locus videtur expressius aduersarius pro sua sententia. Ceterum de mente S. Thomæ iam vidimus supra, quoties exprimat nostram conclusionem. Neque in prædicto loco contrarium docet: nam ibi solum loquitur de fide actuali, ut ostendunt illa verba *per hunc*; inquit, *modum datur aliquando homini a Deo, quod creditur*: credere enim non significat habitum, sed actum. Deinde S. Thomas loquitur de fide, per quam cessat homo à culpa non habituali sed actuali infidelitatis, quia non remouetur, inquit, culpa præcedentis infidelitatis, sed sanatur secundum quid, ut scilicet cesset à tali peccato. A peccato autem non cessat formaliter per habitum, sed per actum fidei, ergo ibi S. doctor præcisè loquitur de actu fidei, qui sæpè datur à Deo sine charitate.

24
Obiectio 5.

Quintò, opponitur Augustinus lib. 1. ad Simplic. q. 2. sub initium, ubi ait: *in quibusdam tantum est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum celorum*. Posset etiam adduci lib. 3. de Trinitate cap. 2. ubi de fide loquens, fides, inquit, *quam qui habent, fideles vocantur & qui non habent infideles*. Cum ergo peccator, qui iam credit, fidelis simpliciter sit, semper iudicat Augustinus eum habere habitum fidei. Ceterum ipsemet Granado, qui contrariam sententiam tuetur, loco supra citato fatetur ingenuè *num. 9.* hæc loca, & alia similia ex lro. de fide, & operibus quæ affert Bañes *infra* q. 6. art. 2. in dubio de hac re, non multum vrgere. Et meritò, quia hæc omnia intelligi possunt de fide actuali, quæ, ut diximus, sufficit, ut aliquis dicatur simpliciter fidelis propter voluntatem habituales credendi non reuocatum in qua permanet.

25

Contrà fundamentum præcipuum huius doctrinæ sentiunt aliqui, qui non admittunt, quod gratia habitualis sit prima radix omnium habituum infusorum, etiam fidei, & spei, imò è contra censent, iuxta naturam horum habituum esse, quod præcedant infusionem gratiæ, quibus fauere videtur Suarez lib. 6. de gratia cap. 13. circa finem, Luisius Turrianus *diff. 41. de fide dub. 9.* quia nullo ratio adducitur ad probandam talem connexionem ex natura rei habitus fidei cum habitu gratiæ.

Ceterum nostra doctrina est S. Thomæ 1. 2. q. 110. ar. 3. & 4. Vbi expressè loquitur de habitibus infusis intellectus, & voluntatis, & utroque

dicat oriri à gratia habituali, ut à prima radice, imò ipse Suarez loco citato tandem *n. 19.* concedit, quando adest habitualis gratia ab ipsa conservari habitum fidei. Eandem sententiam docet Iacobus Granado *in* 1. 2. *controverfia 4. de habitibus in communibus diff. 4. num. 3.* & *controverfia 8. de gratia tract. 4. diff. 3.* Valentia 2. *tom. diff. 8. de gratia q. 2. puncto 2. in solutione primi argumenti*. ubi ait, Deum permittere de facto perturbationem ordinis debiti inter habitus gratiæ, & fidei propter alias rationes suæ providentiæ. Denique P. Vasquez 1. *tom. in* 3. par. *diff. 41. cap. 5. num. 27.* apertè fatetur, si habitus gratiæ, & charitatis distinguantur, quod ipse probabile esse docuerat, habitum gratiæ habere se per modum essentia, & radices, à qua dimanet habitus charitatis, & ideo ponendam fuisse in Christo gratiam habituales accidentales, ut in eo esset connaturalis radix operationum supernaturalium, quæ est gratia habitualis.

Habet autem hæc doctrina communis magni ponderis fundamenta, nec leuiter introdunda est, ut aliqui minùs cautè dixerunt. Fundatur enim in ipsa essentia gratiæ habitualis, quæ quidem ideo est forma iustificans, & faciens filium adoptiuum, ac consortem diuinæ naturæ, ad quam consequuntur potentia, & operationes supernaturales, sicut ad animam rationalem consequuntur potentia, & operationes humanæ: ex hoc autem conceptu gratiæ habitualis, manifestè sequitur quod sicut habitus infusus aliarum virtutum, sic etiam habitus fidei debeat ex ipsa gratia dimanare: sequela probatur primo quia non potest esse natura aliqua principium volendi, aut appetendi, quæ eadem non sit principium intelligendi, aut cognoscendi: si ergo gratia in ordine supernaturali est prima natura, & est radix habituum, qui sunt in voluntate ad amandum, & volendum honestum; eadem gratia debet esse principium cognoscendi in eodem ordine, ac per consequens habitus fidei infusus, qui est quasi potentia intellectiva in ordine supernaturali.

Confirmatur, quia in patria loco fidei, quæ auferitur, subrogatur habitus luminis gloriæ ad videndum clarè Deum: illius autem habitus gratia ipsa est radix, quæ ideo dicitur semen gloriæ, ut constat apud omnes, sicut & aliorum omnium habituum, quibus beati cognoscunt clarè obiecta supernaturalia, & totius scientiæ infusa, quam habent; ergo in via eadem gratia ex natura sua est prima radix habituum, quibus in hoc statu viuimus ad cognitiones supernaturales: si enim semel conceditur gratiam esse naturam & radicem, non solum ad amandum, sed etiam ad cognoscendum; fatendum est, eam semper exigere aliqua principia proxima ad cognitiones supernaturales: alioquin in via manea erit illa natura, cum non exerceat suum munus in ordine ad operationes cognoscendi, sed solum in ordine ad operationes amandi.

Secundò, Probatur eadem sequela, quia si habitus fidei iuxta suam naturam ponitur ab ipsa gratia habituali, deberet utique in eorum habere secundum alios habitus infusos in voluntate: hoc enim cõmune est apud Philosophos, omne principium cognoscitivum connaturaliter loquendo esse appetitivum illius boni, quod cognoscitur, ergo eo ipso, quod Deus eleuat hominem ad gradum cognoscitivum in ordine supernaturali, debet eodem modo illum eleuari ad gradum voluntatis.

tiuum: quare si eleuatur homo per habitum infusum ad cognoscendum, debet ex natura rei eleuari per habitum infusum ad amandum; repugnat enim alicui dari connaturaliter potentiam intellectiuam, quæ non afferat secum potentiam etiam volitiuam in eodem ordine. Repugnat ergo, quod habitus fidei iuxta suam naturam ponatur in aliquo subiecto, & non afferat ex natura sua secum potentiam aliquam volitiuam eiusdem ordinis. Nec sufficit, quod Deus eleuet per auxilia, & det concursus ad volitiones supernaturales: sicut non satisfaceret exigentiæ intellectus naturalis offerendo solum concursus, & suppleendo per aliquid extrinsecum, vel intrinsecum defectum potentie volitiue, sed debet dari potentia volitiua intrinseca eiusdem ordinis, & rationis cum potentia intellectiua, quæ datur.

28
Secundum
fundamentum

Secundum fundamentum principale doctrinæ communis, quam tuemur, desumitur ab exemplo aliorum habituum virtutum moralium infusorum, quos Theologi communiter fatentur venire & abire simul cum gratia habituali, quod & ipsi auctores illius contrarie sententia fatentur. Si enim habitus fidei, & spei non oriuntur ex gratia, non potest reddi ratio verisimilis, cur alij habitus oriuntur: maior quippe connexio videtur esse fidei cum habitibus voluntatis quam vnus habitus voluntatis cum aliis: si potest ergo manere fides ex natura sua absque potentia volitiua supernaturali eius obiecti, quod per fidem proponitur, cur non poterit manere habitus temperantie absque charitate. Rursus si habitus spei, qui pertinet ad voluntatem potest ex natura sua manere absque aliis habitibus voluntatis, cur habitus temperantie non poterit ex natura sua manere absque charitate. Reddenda est ergo ratio vniuersalis desumpta ex connexione habituum cum gratia tantum cum prima radice, alioquin non restat fundamentum ad dicendum, quod habitus infusi aliarum virtutum moralium non maneat de facto in peccatore absque habitu gratiæ, & charitatis. Vnde minus satisfacies, si dicas ideo auferri omnes virtutes morales cum gratia, quia illæ omnes identificantur cum ipsa gratia, sicut & charitas; solamque fidem, & spem distinguere à gratia, & ideo manere in peccatore. Hoc inquam, non satisfacit; tum quia est contra communem Theologorum sensum, quia licet aliqui charitatem dicant non distinguere à gratia, de aliis tamen virtutibus supponunt pro certo distinguere: tum etiam, quia restat eadem vel maior difficultas, cur, aut quomodo possit gratia per suam entitatem esse principium proximum omnium actuum voluntatis supernaturalium: & indigeat principio distincto ad eliciendos actus intellectus, cum hi tamen immediate respiciant principium radicale, quam actus volendi. Sicut si diceret, animam identificari cum voluntate sua, non verò cum intellectu. Adde, quod vt dicebamus, actus spei sunt actus voluntatis, & tamen ad eos non sufficeret gratia sine habitu distincto; cum ergo magis connexi sint inter se actus spei cum actu dilectionis quam actus temperantie cum actu restitutionis, quomodo potest intelligi, quod gratia sit per suam entitatem præcipuum proximum omnium actuum voluntatis in qualibet materia etiam disparata, & solus actus sperandi non possit ab ea virtute appetitiua elici; sicut si poneret animam posse per suam substantiam elicere omnes actus appetitus præter actum sperandi, ad quem indigeat

Card. de Lugo de virtute Fidei diuine.

potentia distincta. Rursus consequenter dici deberet, ad actus etiam pietatis affectionis ad credendum, requiri habitum distinctum à gratia. Vnde sequeretur aliud mirabilius, quod scilicet illud principium, nempe gratia, quod sufficeret se solo ad omnes actus cultus Dei, & aliarum virtutum, non sufficeret ad volendum cultum Dei, qui tribuitur per fidem: cum tamen multo minus distent inter se actus religionis, quo volumus reuereri excellentiæ Dei exteriori, & quo volumus reuereri veracitatem Dei per fidem intellectualem, quam actus religionis, & actus eutrapeliæ: ad quos sufficeret idem principium gratiæ, absque alio habitu.

Tertium
fundamentum.

Denique fundatur prædicta communis sententia in ratione supra insinuatæ; quia scilicet, si habitus fidei non sit passio debita gratiæ, non apparet ratio, cur potius detur habitus fidei, quam auxilium actuale transiens ad actus fidei, sicut aqua in baptismo, licet concedatur causare physice gratiam, non eleuatur per qualitatem permanentem, sed per auxilium, vel qualitatem transeuntem. Fatendum ergo est, habitum fidei dari ad exigentiā gratiæ, & ideo esse potentiam permanentem, sicut & ipsa gratia, cuius potentia est etiam permanens.

Obiiciunt primò, quod frustra ponimus miracula noua, quando manent fides, & spes in peccatore, absque vlla necessitate, cum possit id fieri iuxta naturam eorum habituum. Respondeo, in primis nos nunquam dixisse id esse miraculum; imò esset miraculum, si non manerent, cum esset contra legem vniuersalem statutam à Deo, quæ tamen lex iustas ob causas fuit contra exigentiā connaturalem ipsorum habituum, quod non dici absque necessitate, aut fundamento, constat ex dictis.

29
Obiectio 1.

Vrgent secundò, quia in ordine ipso supernaturali possunt esse & de facto sunt aliqui actus, qui non exigunt procedere ex gratia habituali: ergo potest esse aliquis habitus infusus, qui non petat procedere ex gratia. Antecedens probatur, quia primus actus fidei, vel contritionis in peccatore, cum non supponat habitum, procedit à solo auxilio per se ipsum, atque ideo ille idem actus non possit procedere ex habitu, ergo ille actus ex natura sua non exigit gratiam habitualement in subiecto.

Obiectio 2.

Respondeo, transeat, esse possibilem eiusmodi actum, & habitum: negamus tamen, habitum fidei, qui datur de facto, esse talem. Primò quia ille habitus esset magis supernaturalis in sua substantia, facilius autem est admittere supernaturalitatem quoad modum, in hoc, quod habitus ponatur, & conseruetur, quando non debebat, quam ponere illam substantiam fidei adeo supernaturalem; omnis enim habitus infusus, connaturaliter loquendo debet esse passio alicuius primæ radicis in ordine supernaturali, quæ est sola gratia: nec potest esse potentia proxima ad operandum, quæ non supponat principium radicale. Secundò, quia habitus fidei de facto est talis, vt quando adest gratia, respiciat illam, tanquam passio, & potentia illius: alioquin gratia, quæ de se est prima radix in ordine supernaturali, vt diximus, deberet habere alium habitum cognoscitiuum, qui esset passio, & potentia ipsius, vel maneret in statu violento absque potentia sibi debita. Tercio si daretur ille habitus fidei de facto, adhuc manerent eadem inconuenientia, quæ habitus fidei, cum sit potentia cognoscitiua, vt vidimus

M m 2 vidimus

vidimus, deberet semper afferre secum potentiam volitivam eiusdem ordinis, hoc est habitus voluntatis, quos cum de facto fides non habeat secum in peccatore adhuc fatendum esset id fieri contra exigentiam, & naturam habituum.

30
Obiectio 3.

Arguunt tertio, quia gratia habitualis prærequirit aliquam dispositionem in subiecto; ergo gratia non est prima radix in ordine ad omnes operationes supernaturales. Respondeo retorquendo argumentum, si gratia exigit aliquam dispositionem præuiam, & ideo datur prius habitus fidei, ut illam operationem eliciat; ergo cum non solum actus fidei sit dispositio ad gratiam, sed etiam actus attritionis, & aliarum virtutum, debent etiam alij habitus infundi ante gratiam propter eandem rationem. Dicimus ergo, gratiam ex natura sua non exigere aliquam dispositionem in subiecto: Deus tamen rationabiliter eam exigit in adultis inuertendo aliquantulum ordinem connaturalem actuum & habituum, ut creatura rationalis voluntarie suscipiat dona ipsius Dei.

31
Obiectio 4.

Arguunt quarto, si fides & spes ex natura sua dependent à gratia, cur magis manent hi habitus in peccatore, quam habitus aliarum virtutum? Respondeo, hoc argumentum virgere etiam contra ipsos: quia si fides, & spes ex natura sua non pendunt à gratia, cur alij habitus virtutum moralium, maxime penitentiae, & aliarum, quæ possunt deferuire ad conuersionem peccatoris non sunt dati tales, ut non penderent ex natura sua à gratia, sed possent manere sine illa; omnes ergo debemus reddere eandem rationem differentiae; quam quidem infra hac eadem disputatione reddemus.

32

Ex dictis autem inferri videtur, non solum de facto fidem habituale non esse ex natura sua separabilem, aut independentem ab habitu gratiæ sed nec etiam posse dari talem habitum merum fidei infusum: quia eo ipso, ut vidimus, exigeret habitus infusus voluntatis, cum omnis potentia cognoscitiua eo ipso exigeret potentiam appetitivam eiusdem ordinis. Tunc autem ille habitus fidei exigeret habitus infusus voluntatis tanquam prima radix eorum, cum ex natura sua non supponeret gratiam habitualem, nec aliam primam radicem sui, vel eorum habituum: haberet ergo se in ordine ad eos habitus, sicut non se habet gratia habitualis, & per consequens non maneret tam intra terminos meri habitus fidei, sed esset alia qualitas nobilior per modum primæ radices in ordine supernaturali, & constituens hominem in statu supernaturali per modum essentiae, quæ esset longè maior perfectio, quam ea, quam de facto habet habitus merus fidei infusus.

33
Duo aduertenda sunt. Primum est, in sententia contrariæ, quæ etiam probabilis est, non debere concedi, prout aliqui videntur concedere, quod habitus fidei sit dispositio ex natura rei præquisita ad infusionem gratiæ habitualis, ita ut ex natura rei consequatur gratia, sicut forma ignis consequitur dispositiones in materia præcedentes. Hoc, inquam, dici non debet, quia infusio gratiæ habitualis debet esse gratuita, quod non esset in eo casu: nam habitus fidei non disponit hominem ad gratiam iustificationis, nisi mediis actibus spei, & dilectionis Dei, ad quos mouet, & dirigit fides: ij autem actus, licet disponant de congruo ad impetrandam gratiam iustificationis, non tamen de condigno, nec eam exigunt, nisi mediante misericordia Dei, qui gratis

omnino, & ad nullius dispositionis præcedentis exigentiam eam confert: non potest ergo fides esse dispositio ex natura rei ad gratiam, sicut dispositiones naturales exigunt formam ignis, sed solum ex diuina ordinatione de facto debent præcedere actus fidei, & dilectionis ad remissionem peccatorum.

Secundum aduertendum est in eadem sententia, quando dicitur actum fidei esse dispositionem ultimam, quæ posita, statim infunditur habitus, non debere id intelligi de actu fidei, prout est assensus intellectualis, sed de voluntate pie affectionis imperante assensum fidei: cum enim tota moralitas, & honestas, ac valor per modum meriti congrui, qui est in actu fidei, deriuatur à voluntate pie affectionis, quæ sola est libera, & honesta libertate, & honestate formali; non est necesse ad infusionem habitus expectare ipsum assensum intellectualem, qui est quasi actus extraneus, & in se ipso necessarius ortus ex illa voluntate, sed posita pia affectione, & imperio efficaci ex parte voluntatis, statim pro posteriori nature infunditur habitus fidei, à quo rursus pro signo posteriori elicietur assensus fidei intellectualis; itaque licet per affectionem ad fidem, quando adultus incipit credere, non fiat ab habitu infusus, sed ab auxilio actuali, quia ipsamet affectio disponit ad infusionem habitus, & non potest fieri ab habitu, ad quem ipsa disponit, ut infundatur assensus tamen fidei intellectualis etiam primus fieri potest ab habitu, qui ante hunc assensum præcedit dispositio sufficiens ex parte voluntatis ad infusionem habitus. Quod in illa sententia obferuarunt, & ita magis consequenter eam intellexerunt P. Turrianus hic disp. 38. dub. 3. & P. Hurtado disp. 57. §. 9.

SECTIO III.

De conseruatione habitus fidei; ubi, an, & quomodo maneat fides infusus in peccatore.

Non est sermo de peccatore hæretico, vel infideli, de quo dicimus infra disp. 17. §. 4. agentes de subiectis fidei, & nunc supponimus, quod si peccatoris perdit habitum fidei, sed loquimur de peccatore fideli, qui peccat mortaliter contra aliquas virtutes, quem diximus in eo statu non perdit habitum fidei infusum, & comparare de nouo habitum fidei infusum, & nec simul cum habitu gratiæ, & charitatis eum accipiat; de hoc ergo quarimus, an possit perditam gratiam, & charitatem retinere habitum fidei infusum in statu peccati.

Contrauerfia hæc præcipue est cum hæreticis modernis, qui contendunt fidem non posse esse sine charitate, & sanctitate; quorum errorem expresse damnavit Tridentinum sess. 6. cap. 15. his verbis: *Afferendum est, non modo infidelitatem, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quæcumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti: diuina legis doctrinam deferendo: quæ à regno Dei non solum infideles excludit, sed & fideles quosque, fornicarios, adulteros, molles, maleficos, concubitos, fures, auaros, ebrios, maleficos, rapaces, ceterosque omnes: qui lethalia committunt peccata.* & can. 28. si quis (inquit) dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper